

EMBLEMA VIII.
OPTIMUS, UT MAXIMUS.



Optimus esse prius Rex Divum Jupiter ambit,
Ut supra invidiam Maximus esse queat.
Qui Regnum, qui Sceptra tenes, qui subijcis Orbem,
Maximus esse ambis? Optimus esto prius.

COMMENTARIUS.

I UM ergo à Deo Virtuteque, Sapientia, & Prudentia solidum Regum, Reg-
norumque stabilimentum dependeat, ut in superioribus vidimus. Par est, ut
ipsi Reges, Divinis, atque inflatis titulis, ac nominibus derelictis, de quibus
aliqua in secundo Commentario retulimus, illis se præcipuè extollant, atque
gloriantur, quæ ex ipsa in Deum submissione, & in Virtute propensione
proficiscuntur (a). Laudatum Majorum morem retinentes, qui se Regna, quæ
habent DEI GRATIA habere, & possidere, testari soliti sunt. Quod non solum de Christia-
norum dominationibus, verum & de iis, quæ apud Infideles sunt, accipiendam esse, doctè
Dominicus Sotus (b) animadvertit?

2 Etenim licet eisdem condonari propter consuetudinem possit, quòd à victis Gentibus no-
mina sumant, prout Justinianus (c) Imperator, & alii fecerunt, & Ovidius (d) ostendit, dum
dixit:

Si petat à victis, tot sumet nomina Cæsar,
Quot numero gentes maximus Orbis habet.

Reliqua, quæ hanc moderationem excedunt, vel in Barbaris Principibus execramur. Saporem,
& alios Persarum Reges irridentes, qui, ut Marcellinus (e), Chrysologus (f), & alii (g) Auctores
scribunt, subjecta pedibus suis Sphæra, Solis in figura se conspiciendos dabant, syderumque
participes, & fratres Solis, ac Lunæ se, ipsi, nominabant, & ab aliis nominari volebant. Ar-
taxerxes, qui, ut habetur in libro Esther (h) edicta sua sub hac formula publicabat: Rex
Magnus Artaxerxes, ab India usque ad Ethiopiæ centum ac viginti Provinciarum Ducibus ac
Principibus, qui nostræ ditioni obediunt. Salutem. Attilam (i) qui ita rescribebat, Attila, Be-
deubuffilius, Nepos Magni Nembrothi, nutritus in Engadî, Humorum, Menelorum, Gotborum,

(a) Juxta illud Proverb. 8. Exod. 18. Deuter. 16. Reg.
1. 16. Sap. 6. Novel. Just. 88. & alia apud me 1. tom.
lib. 2. à num. 5.
(b) Sotus de justit. & jur. lib. 4. art. 1. quest. 3.
(c) Justinian. in princip. institut. & alibi, latè Ego
in dict. 1. tom. lib. 1. cap. 16. num. 62.

(d) Ovid. 1. Pastor.
(e) Am. Marcel. lib. 17. & 23.
(f) Chrysol. serm. 120.
(g) Cardan. de subt. tit. de machinis.
(h) Esther. 13. & 16.
(i) Camil. Borrell. de præst. Reg. Cath. cap. 46. num. 5.

& Danorum, Dei Gratia, Rex, Terror Mundi, & flagellum Dei. Aliisque relictis, quæ apud
alios (k) videri poterunt, nunc demum Turcas Imperatores, qui sexcentis simul deliriis, sex-
centas paginas implet, prout Simon Majolus (l) latè commemorat.

3 Et ad eundem tumorem spectebant aliæ Imperatorum Romanorum appellationes, qui
(maximè post Imperium Constantinopolim translatum) se Optimos, Maximos, Magnos, Magni-
ficos, Gloriosissimos, Clementissimos, Beatissimos, Christianissimos, Illustrissimos, Celsos, In-
victos, Pios, Fælices, Victores, & Triumphatores passim vocari sunt passi. Quos, jam olim,
ob superbiam, quam in his appellationibus ostentabant, meritò notavit Seneca (m), inquit:
De nomine tantum Patrie Parentum gloriari debere. Cetera enim agnomina honori data sunt.
Magnos, & Fælices, & Augustos dicimus, & ambitiosæ Majestati quicquid potuimus titulorum
congressimus.

4 Et Senecam sequutus Erasmus (n), quo rectè Anglus Epigrammarius (o) dicere potuit:
Nunc desiderium desiderat Orbis Erasmus
Cui soli licuit scribere, quod voluit.

Adhuc magis pungentibus verbis, in eos invehitur Principes, qui non contenti Regum appel-
latione, quæ vel sola olim apud Romanos adèd exosa, & invidiosa fuit, se Divos, Invictos,
Augustos, Illustrissimos, quin & Serenissimos appellari patiuntur, cum belli tempestatibus, &
insanis rerum motibus totum orbem concutiant.

5 Quæ Censura, etsi à Satyrico viro profecta, justè in eos Principes dirigi potest, qui
propriis virtutibus, egregiisque facinoribus, hæc, quæ affectant, vel gratè audiunt cognomina
promereri non curant, & in illud incidunt, quòd elegantissimè Seneca (p) hunc in modum
notat, & reprehendit: Non sumus modica adulatione contenti, quicquid in nos adulatio sine pu-
dore congressit, tanquam debitum prendimus. Optimos nos esse, Sapientissimos, affirmantibus
assentimur, cum sciamus illos sæpè mentiri. Adèdque indulgemus nobis, ut laudari velimus in
id, cui contraria maximè facimus.

6 Et hinc ansam sumpsi, præsentis Emblematis configendi, ex Jovis, (quem Deorum Sum-
mum, Patremque cæca Antiquitas (q) coluit) imagine prompti, quem semper ac fingebant,
pingebant, vel verbo tenus nominabant, OPTIMUM simul, & MAXIMUM insculpere, vel
vocare solebant. Juxta ea, quæ latè, & eruditè Barnabas Brissonius (r) congressit. Sic corda-
tis, & benè moratis Regibus exemplum, ac monumentum præclarissimum exhibentes, ne un-
quam ad cognomen MAXIMI, MAGNI, aliorumvè similium, sumendum accedant, quin prius
Optimos se esse manifestaverint: cum hoc, vel in ipsa Jovis dignitate, sive deitate, præ-
cedere, & veluti ad illud consequendum requiri, conspiciant.

7 Idque, (ut Erasmus (s) ait) esse proprium veri Principis indicet, ut quantum in ipso sit,
nemini noceat, prosit omnibus, sitque magis OPTIMUS, quam MAXIMUS. Quamquam
non alia ratione potest esse Maximus, nisi ut sit quàm Optimus, hoc est, in omnes bene-
ficientissimus, seseque totum in populi sui commoditates impendens, & Regiis virtutibus, &
actionibus undequaque condecoratus. Re enim vera inter omnes honoris titulos, ut idem
Erasmus (t) alibi animadvertit, hic reputabatur præcipuus, qui à virtute ipsa sumptus,
non cuivis tribui solebat. Itaque Caius Scipio Nasica cum ob singularem animi probitatem
eximium meretur encomium, OPTIMUS à Senatu appellatus est, ut Pomponius, & alii
(u) recensent.

8 Quod præclarè etiam docuit Seneca (x), Livium reprehendens, qui aliter sentire vide-
batur, & sic inquit: Hæc nomina Magnus, & Bonus separari non possunt. Magnum quippè
aut Bonum erit, aut non Magnum: quia magnitudinem animi inconcussam intelligo, & introrsus
solidam, ab imo parem, firmamque, qualis inesse malis ingemis non potest.

9 Quod Ego, magis adhuc ostendere volens, in meo lemmate possui, OPTIMUS, ut
MAXIMUS, quasi hoc nomen ob illud mereatur. In Jovis autem figura hæc inscriptio subjec-
ta est, Jovis Optimus Maximus; quo loci, Jovis nomen, non in genitivo, sed in nominati-
vo ponitur. Nam à principio sic appellatus fuit, à juvando, licet postea, adjuncto altero vo-
cabulo Pater, dictus sit Jupiter, quasi Jovis-Pater, sive Juvans-Pater, ut Robertus Step-
hanus (y), Calepinus, Dempsterus (z), & alii Scriptores observant, & Ego hic advertendum
cen-

(k) Alex. & Tiraq. 2. Gen. cap. 11. Ego 1. tom. ca-
pit. 16. num. 63. Bozius de sig. Eccles. lib. 11. cap. 2.
novissimè Hopingus de jur. insignium.
(l) Majol. tom. 4. colum. 5. pag. mibi 337. & seqq.
(m) Senec. lib. 1. de Clem. cap. 14.
(n) Erasmus in Adag. Scarabeus Aquilam, pagin.
mibi 719.
(o) Joan. Ovens lib. unic. Epig. 104.
(p) Senec. Epist. 59.

(q) Brisson. de form. pag. 53.
(r) Brisson. de form. lib. 1. pag. 52.
(s) Erasmus dict. Adag. Scarabeus Aquilam.
(t) Idem in Adag. Optimus, pag. 194.
(u) Pomp. I. C. in leg. 2. de origin. jur. & Plin. lib.
7. Nat. Hist.
(x) Senec. lib. 1. de ira cap. 17. ad fin. cap.
(y) Robert. & Calepin. verbo Jovis.
(z) Dempster. ad Rosin. lib. 2. cap. 3. pag. 99.

censui, quia in hoc doctum alioqui virum hæsitasse conspexi.

10 Neque existunt aliquis, Me, cassa, plebejavè auctoritate, ad hoc Emblema configendum, perductum, cum faciem prætulit Cicero (a), dum in suis libris de Natura deorum, sic scripsum reliquit: *Apotheus dicitur Jupiter Divum, atque hominum Pater. A Majoribus autem nostris OPTIMUS MAXIMUS. Et quidem ante OPTIMUS, id est Beneficentissimus, quam MAXIMUS, quia majus est, certeque gratius, prodesse omnibus, quam opes magnas habere.* Neque longè abest quod alibi sic scripsit (b): *Quo circa te, Capitoline, quem propter beneficia Populus Romanus OPTIMUM, propter vim MAXIMUM nominavit, &c.* Quibus locis non relatis, eodem sensu quo Nos, hæc eadem cognomina ponderat Dominicus Baudius (c) in quadam oratione, sic iquiens: *Non sine mente, & religiosa ratione, Jupiter, ante OPTIMUS appellatus, quam MIXIMUS: nam & gratius est nomen pietatis, quam potestatis, & usufructus juvare multos, quam opes magnas possidere.*

11 Certum quipè est, Imperia pendere à virtutibus (d), quæ & ab initio ut Justinus (e) ait, Reges ad stigium hujus Majestatis provehebant, & tota via recti iudicii errare eos, ut idem Baudius subiungit, quibus solida Magnitudo videtur, timeri; & plus ad nocendum, quam ad bene merendum, imperitare. Nihil etenim est in suprema Fortuna majus, quam posse, nihil melius quam velle prodesse quam plurimis, & longè lateque pomœria propagare benignitatis, ac beneficentiæ. Nullaque dote, nullo genere virtutis Mortalitas proprius ad naturæ divinæ similitudinem accedit, quam miserendo humanæ imbecillitatis, ignoscendo erroribus, obliviscendo injuriis, erigendo lapsos, salutem dando innocentibus, auxilium calamitosis, opem impotentibus, solatium afflictis: (f)

*Hac arte Pollux & vagus Hercules
Innixus, arces attingit igneas
Quos inter Augustus recumbens,
Purpureo bibit ore nectar.*

Ut bene cecinit Romanæ Fidicem Liræ; & non minus bene Seneca Tragicus (g), inquiens:

*Hoc Reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiet dies,
Prodesse miseris, supplices fido lare
Protegere.*

12 Et melius ahuc Ecclesiasticus (h), dum ornamenta Moysis enumerans, qui ad Dei populum regendum electus fuerat, Coronam auream super Mithram ejus apponit, *Expressam signo sanctitatis, & gloriæ honoris, opus virtutis, & desiderio oculorum ornatam.*

13 Alexander quoque Macedo, qui tot victoriis clarus, Magni sibi cognomen justius ceteris, ut Apulejus (i) iudicat, comparavi, & in cuius conspectu terra siluit, ut in libro Machabeorum (k) habetur cum jam à fato suo non procul abesset, & quem tot Regnorum hæredem habere vellet? rogus fuisset; non certè Magnum, aut Maximum; sed qui ex suis esset Optimus, nominavit, ut Plutarchus (l), & Curtius (m) in ejus vita recensent, & late quidam Modernus Holandus (n) illustrat, litem tamen magnam ei movens, quod, quem è suis Optimum crederet, non indicavit, & quid ad hoc nomen, quod in Regibus præcipuum est, consequendum, requiretur.

14 Ad Alexandri autem exemplum Trajanus Imperator, nullum certum staturat nominare successorem, sed præmittere Senatui, ut Optimus eligeret, ut Ælius Spartianus (o) in ejus vita commemorat. E inter Agesilai Apophthegmata (p) legimus, quod cum Persæ Reges suos MAGNOS appellæ solerent, & Legati quidam coram ipso, sic eum, à quo missi fuerant (veluti ad honorem, et timorem ejus augendum) vocitarent. Ille respondit, *At me major nequam est, nisi iustior ac temperantior fuerit.* Ad illud forsitan Xenophontis (q) alludens, qui de eisdem Persis scribit, quod non censebant convenire cuiquam Imperium, qui non melior esset iis, quibus impraret. Eumque demum Principem Magni cognomento dignari, qui virtutibus, & rerum gestarum gloria reliquos superaret.

15 Plinius (r) tiam Junior in celebri suo illo ad Trajanum Cæsarem Panegyrico, ita graviter, & ad nostrum Emblema coherentem, de his nominibus agit, & de meritis, quæ ea præ-

(a) Cicer. de nat. deor. lib. 2. cap. 91.

(b) Idem Cicer. in rat. 3. pro domo sua.

(c) Baudius in orat. stud. tumult. pag. 565.

(d) Thom. Bozius intrat. Imp. pend. à virt.

(e) Justin. lib. 1. i. princ.

(f) Horat. 3. car. Od. 3.

(g) Senec. in Medea.

(h) Eccles. cap. 45. 14.

(i) Apulej. lib. 2. florid.

(k) Machab. 1.

(l) Plutarc. in Alexand.

(m) Curt. lib. 10. cap. 7.

(n) Buxtorpius Zuertus Emblem. 10.

(o) Spart. in Trajan.

(p) Plut. in Apophtheg. Agesil.

(q) Xenophon. in Cyropæd. lib. 8.

(r) Plin. in Paneg. circa finem.

cedere debent, ut piaculum videri possit, ipsius verba ad literam non referre, quæ ita se habent: *Justis ne de causis S. P. Q. R. OPTIMI tibi nomen adjeicit? Paratum id quidem, & in medio positum, novum tamen. Scias neminem ante te meruisse, quod non erat excogitandum si quis meruisset. An satius fuit foelicem vocare? Quod non moribus, sed fortune datum est. Satius Magnum? cui plus invidiæ, quam pulchritudinis inest. Adoptavit te Optimus Princeps in suum, Senatus in OPTIMI nomen. Hoc tibi tam proprium, quam paternum: nec magis definitè, distinctè designat, qui Trajanum, quam qui OPTIMUM appellat. Ut olim frugalitate Pisones, Sapientia Lælii, Pietate Metelli monstrabantur; quæ simul omnia uno isto nomine continentur: nec videri potest Optimus, nisi qui est omnibus Optimis, in sua cujusque laude, præstantior. Meritò tibi ergo post ceteras appellationes, hæc est addita, ut major. Minus est enim Imperatorem, & Cæsarem, & Augustum, quam omnibus Imperatoribus, & Cæsaribus, & Augustis, esse meliorem. Ideoque ille parens hominum, Deorumque, OPTIMI prius, deinde MAXIMI nomine colitur: quo præclarior laus tua, quem non minus constat Optimum esse, quam Maximum. Assecutus es nomen, quod ad alium transire non possit, nisi ut appareat, in bono Principe alienum, in malo falsum. Quod licet omnes postea usurpent, semper tamen agnosceretur ut tuum. Etenim ut nomine Augusti admonemur ejus, cui primùm dictatum est. Ita hæc Optimi appellatio, nunquam memoriæ hominum sine te recurret. Quotiesque posteri nostri Optimum aliquem vocare cogentur, toties recerabuntur, quis meruerit vocari.*

16 Hactenus Plinius. Cujus vel sola transcriptio, pro hujus Emblematis Commentario sufficere posset: nisi Imperatoris Alexandri Severi insignis hac in parte modestia, peculiarem quoque commemorationem exigeret. De quo Lampridius (s), & alii (t) recensent, quod licet Antoninus Caracalla ejus Antecessor, Magni cognomen, ambitu potius, quam merito usurpasset, ipse tamen, vix annos sexdecim natus, cum à Senatu Imperator creatus, ob virtutis magnitudinem Patriæ Parentis, Antonini, & Magni cognomine decoraretur, nunquam in animum, ut hos acciperet honores, induxit. Oportere enim aiebat: *Ut res gestæ, maturiorque ætas ea nomina pararent, & præsertim Magni, cum id Alexander post magna gesta; Pompejus vero post magnos triumphos acceperit.* Quo factò consequutus fuit, ut se Majorem oblato Magnitudinis nomine demonstraret. Quemadmodum & Tiberius, dum referente Tacito (u), nomen Patris Patriæ à populo sapius in gestum, repudiavit.

17 Nam licet secundum Senecam (x): *Magnitudo non possit surgere, quando incrementum majus non est.* Ille tamen, docente Symmacho (y), eandem majorem facit, quem sublimitas parti honoris inclinat, quique in summo fastigio (ut Justus Lipsius (z) alibi inquit) non magis Magnus, quam bonus audire desiderat, & duas res diversissimas Potentialium, ac Modestiam miscet: quæ quidem individua Comes Regum, & Principum esse debet, procul à superbia, procul à fastu, & omni ambitionis turbine separata; ita ut in illis insignis hæc virtus potior sit, quam Majestas, ejusque Augusta sedes in ipsorum animis fundamentum ponat, & in amore, ac reverentia subditorum. Per eam enim, ut inquit Cicero (a), pudor honestatis clarum, & stabilem comparat auctoritatem, utpotè quæ secundum Menandrum (b),

Promptuarium virtutis est Modestia sola.

Et secundum Euripidem (c),

Donum Pulcherrimum Deorum.

18 Et ita, juxta aliam celebrem doctrinam Taciti (d), *Apud quos vis Imperii valet, hæc inania transmittuntur.* Et monente doctissimo, & Novissimo Novarino (e) in magnos animos non cadit affectata jactatio, Nescit mens generosa fastum, nescit superbiam: his angustiis animus obsidet, &

In Imperio Magnus est, qui Magnum se nescit,

Et in Solio dignè sedet, qui modestiæ solium est.

19 Quod tamen, (ut apparet) de iis tantum accipi debet, qui sibi ejusmodi cognomina ambitiosè præsumunt, non de illis, quibus ob egregias virtutes, & animi dotes, quæ in ipsis splendent, etiam invitatis, & reluctantis à populis condonantur, sive quos, ut verba Claudiani (f) detorqueam:

*Invitos blandè vestigat, & ultro
Ambit Honor.*

Prout in Magno Rege, ac Domino nostro PHILIPPO IV. quem Deus perennet, vix dum ab

(s) Lamprid. in Alex. Severo.

(t) Fulgos. lib. 4. cap. 1. & alii passim.

(u) Tacit. 1. Annal.

(x) Senec. Epist. 67.

(y) Symmach. in epist.

(z) Lips. in epist. ad Princip. in princip. Polit.

(a) Cicer. lib. 1. Rhetor.

(b) Menander. in Senariis.

(c) Eurip. in Medea.

(d) Tacit.

(e) Novarin. in elect. sacris, lib. 2. de circo sacro,

cap. 4. ex cursu 8. in fine, pag. 194.

(f) Claudian. in Malit. Theodos. cons. in Pro.

ab ephebis egresso, & nihil tale ambiente, aut cogitante, contigisse videmus, non tam ob incomparabilem latè patentis Monarchiæ, cujus hæres exitit, Dominationem, quam ob ardentem Catholicæ Fidei, & Christianæ Religionis tuendæ, & propagandæ zelum, quem multis, & enixis Edictis, & Actionibus, etiam tunc in tenera illa ætate, manifestavit. In quibus enarrandis non pigre & egregie laborasset, ac desudasset Dominus Joannes Antonius de Tapia & Robles (g), multis mihi nominibus carus, in peculiari tractatu de *Cognomine Magni*, quem felicibus auspiciis, & veluti in arrhabonem aliarum lucubrationum luci dedit anno 1633.

20. Apertissime probans, hanc, de qua loquimur, MAGNI appellationem, ferè semper, (etiam inter Ethnicos) Religionis, & Pietatis auctæ, vel observatæ, præmium fuisse ostendit Sabellicus (h), quorum hic à direptione Templi Jerosolymitani Militem prohibuit; ille, Summum Sacerdotem sibi obviam venientem, venerabundus excepit, ac velum Numen quoddam adoravit. Et in Carolo Magno, qui etiam (ut Justus Lipsius (i) animadvertit) ad hanc MAGNITUDINEM ob Sacrorum tuitionem pervenit, & quia Mauros in Hispania fregit, ac comminuit, Saxones, Danos, Avares in triumphum, nec sed Christi, duxit, & lumen nostræ veritatis infudit. Idem quoque Imperatori Constantino MAGNI nomen parasse, idem Lipsius (k) observat, & ita, post ejus merita commemorata, concludit: *Hæc omnia, cui accepto nisi Religioni, atque ejus tutela referat.*

21. Unde meritò idem MAGNI cognomen Piissimo juxta ac Potentissimo Regi nostro Orbis terrarum consensu collatum fuisse Gevartius (l) quoque testatur, utpotè qui celesti præcellentium virtutum concursu, divinam Parentis sui Philippi III. Mansuetudinem, Clementiam, & Pietatem; Avi Philippi II. Prudentiam incomparabilem; Proavi Imperatoris Cæsaris Caroli V. Augusti Fortitudinem & summam Felicitatem solus complectitur, & sub cujus auxiliis & auspiciis Cæsarea Austriacæ Domus Majestas, quinimò & tota Christiana Religio, Barbarorum diluvio quodam oppressa, denuò in libertatem asserta respirat, & inconcussa persistit: (m)

Velut altus Olympi.

*Vertex, quæ spatio ventos, biemesque relinquit,
Perpetuum nulla temeratus nube serenum,
Celsior exurgit pluviis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tronitrua calcat.*

Hoc ipsum Tapia (n) Noster multis probat exemplis; & Carolus Scribanus (o), aureis verbis præfatur, adens Fidei, & Religioni ejusdem Regis Nostri deberi, quòd Germania, & magna pars Europæ sub Heretico & Turcico non gemat Imperio; & ipsos Antonius Vasconcellus (p) Lusitanus, eundem etiam MAGNUM appellans; & in eodem adhuc puero, & vix dum Regni habenas adepto, easdem & alias Virtutes, & præclaras animi, & corporis dotes exaggerans, & hoc metrico Elogio illas appositissime comprehendens:

*Delicias præfert tua frons, tua mitis imago
Æmula syderibus lumina, labra, genæ:
Mellea vox dulci, quæ pectore funditur, undant
Unde magis Siculis dulcia verba favis
Gratius ingentium, quàm nectar dulce, liquorque
Ambrosiæ, divum qui cibus esse solet
Talem Te mitis finxit clementia qualem
Supplicii timidus te reus esse cupit;
Quæcumque in summo poscuntur Principe dotes
Ars, natura Tibi, tum Deus ipse dedit
Plus in te baud posco, tantum desidero Princeps
Tot bona sint populis ut diuturna Tuis.*

EM-

(g) D. Joan. Anton. de Tapia, & Robles.
(h) Sabel. lib. 3. Exemp. cap. 2.
(i) Lips. in *Monition. Politic. lib. 1. capit. 2. monition. 3.*
(k) Idem Lips. ubi sup.

(l) Gervat. in lib. de introit. Ferdin. pag. 31. & 32.
(m) Claudian. de Manl. Theod. Consulatu.
(n) Tapia ubi sup. Elog. 1. per totum.
(o) Scriban. in *Dedic. ad Christ. Pol.*
(p) Vasconcell. in *Anaceph. Reg. Lusit. pag. 372.*

EMBLEMA IX.
RELIGIONIS PRÆMIUM.



*Cum Dux Austriacus tesqua verè
Venator premeret, fortè Sacerdos
Gestans Ambrosiam Corporis Alm,
Per campos properans, & pedes bat.
Descendit, comitatur pede supple,
Cui prolem celebrem Mysta profaur,
Supremo Domino, solvite Cultum;
Crescet innumerè Clara Propago.*

COMMENTARIUS.

Pietatis, & Religionis curam, quam præ omnibus Regni animis instillare conamur, non parum vulgatum illud, sed semper memèria tenendum, exemplum accendit, quod præsentem Emblemate ob oculos ponimus. Maximè Hispago Austriacis, & Austriaco Hispanis, ad quos præcipue digitur, cum ab illustri, atque Heroico Rodolpho Habsburgiorum Comite, eorundem Progenitore, sive, ut proprius loquar, Prototypo, sumatur; qui fluctuas per dissidia Imperium stabilivit, & Gentem Fatalem Regnis, Sceptisque propagavit, ut peter innumeros alios ostendit Onuphrius Panvinus (a), sic inquit:

*Austriacam sobolem fundavit ritè Rodolphus.
Germinè felici, & semine prolifico.
Bisque novem Imperii vixit feliciter annos,
Et quater decies prælia victor obiit.*

2. Is enim, ut plurimi passim Auctores (b) recensent, & præsertim Franciscus Guillinus (c), qui ceteris fidelius, & accuratius hanc Historiam inquisivi, & retulit, in suis Commentariis Habsburgiacis, sive de antiqua, & vera origine domus Austriæ, cum post insignem quandam victoriam partam, Habsburgum consedisset, otii impatiens, seu potius Divino nutu, venatum cum aliquot nobilibus iit. Ea in venatione aliis aliò sparsis, tum & ipse prædam quærit, aut premit, tintinnabuli sonitus ad aures accidit, qualis deferendæ sacrosanctæ Synaxi esse solet. Cognoscendæ avidus rei, flexo equo, quò sonus ferebat, eo ir subito verit, brevi que, torrentis in ripa Sacerdotem exuentem se offendit. Ex quo percontatus quid ita, & iis locis esset? Cogit me, inquit, ex proximo amici valetudo compendia: Etari ne morbo superante, sacris destituito, & vitæ, mortisque arbitro, secus de salute si eniat, in me culpa inhaereat.

(a) Panvinus in *Fastis.*
(b) Vinastand. Bozius, Lipsius, Claudianus, Clem.
(c) Guillin. lib. 6. ca. 4. ex pag. 305. Roo Hist. Austr. pag. 49.

reat. Huc cum apuli, pontem avulsum reperi, eo ad transvadandum vestem pono. Quæ ubi Comes intellexit, repente ab equo genua procidit, Liberatorisque sui presentis pacem, & gratiam precatus; Imò verò, ait, hunc à me equum accipe, & quod officium, necessitasque monet, festinantius obi. Itaque Sacerdotem equo impositum, simul cum propinquo suo, qui pari pietate incensus, ardentem cereum, & campanæ crotalum deferebat, usque ad ægroti domum, tamquam à pedibus, frænisque minister, deduxit. Et postea ad ædem Sacram, cui Sacerdos præsidebat, reduxit. Divinæque rei officio finito, cum hic Comiti equum multa cum gratia, Religionisque, & humanitatis laude, restituere vellet. Absit Ego (inquit Comes) illum equum incendam, aut meorum alius, quem Dominum, & Conditorem meum gestasse, certum habeo. Quod si aded præter opinionem, aut tua merita, hæc tibi à me venire censes, teque tali munere indignum, pios in usus adhibe. Illi nempe Ego dedi, & dicavi, à quo mihi honores, & opes, vita, & anima. Postero die contulit se Rodolphus ad Monasterium *Fare*, quod inter Tugurum, & aquas situm, Lindemago adjacet, sacrimoniam propinquam, & ætate gravem invisurus. Quæ, ubi eum accepit, vultu sereneiore, voce contenta, & futuri securam. At Tibi Ego, inquit, hesternæ luce Superos placatos, & benevolos denuntio, proque pietatis, & liberalitatis officio, rerum tibi, posterisque tuis summum & supremum in terris honoris, & opulentia fastigium adfirmo. Læta, fausta, incredibilia promitto. Perge, age uti incepisti, viam potè insequere. Hactenus Guillimannus, qui hoc contigisse ait anno Domini M. CC. LXI. & postea subiungit, qualiter ille Sacerdos sua Commendatione Rodolphum ad Imperium consequendum juvavit, & ipse sui famam, & gloriam per totum orbem extendit.

3 Eademque Historiam, licet in circumstantiis aliquibus varians, eleganti, quo cetera, stilo, oratione soluta scripsit Justus Lipsius (d), in suis monitis, & exemplis, & iterum ligata, jussu Serenissimorum Principum Belgii Alverti, & Isabellæ, cum egregiam ejus picturam in suo Palatio collocarent, quæ, ut refert *Aubertus Miræus* (c), sic habet:

*Comes fuit Rodolphus olim Habsburgicus,
Cui, rure (juxta rivulum qui excreverat)
Ferens ad ægrum quempiam Eucharistiam,
Parochus fit obvius. Comes mox in pedes
Salit, suoque collocat Mystam loco.
Eunt simul, simul domos ægri petunt,
Intrantque triste limen: ac istinc iter
Aliud legunt. Sed hinc Equum vult reddere
Parochus, negat Comes: quin impium scelus,
Nefasque ducit. Ipse, scilicet premam
Eppippon, quo veltus est Cæli Deus?
Ait, pedesque conficit ceptam viam.
Fides inaudita; en Sybillina Sata
De stirpe Vates, Inlito Comiti canit
Æternum honorem. Hoc præmium pietas habet.*

4 Undè jam satis liquet, Pietatis, & Religionis curam Imperiis non obesse, ut impius Machiavellus (f) docere videtur, quin potius ab ipsa, & ortum, & progressum, ac fulcimentum recipere, ut Pii alii (g) Scriptores pluribus argumentis, & experimentis ostendunt. Sic Deo implente, quod in libro primo Regum cap. 30. promissit, *Quicumque me glorificaverit, glorificabo eum*, ut in nostro Rodolpho videmus, qui, ob hujus virtutis meritum, posteritatem suam Augustissimam reddidit, & quod nulli alii ab orbe condito accidit, Romanum Imperium in eadem per tercetos & plures annos continuat, ut præclare Thomas Bozius (h) animadvertit, & Deo annuente (fremant licet tantæ gloriæ æmuli) per plura secula continuabit.

5 Maxime cum jam Hispano sanguini, non minus Pio semper, & Religioso commixta, in eisdem ubique virtutibus perseveret, & præcipue in ejusdem sacrosanctæ Eucharistiæ devotione, & reverentia. Cujus testimonium exhibent leges (i), quibus ipsi Austriaci Principes, Nostrique Catholici Hispaniarum Reges spondent, se illam, ubicumque obviam, genibus flexis adoraturos, & quocumque jerit associaturos, absque ulla hujus pii, & debiti obsequii excusatione: *Por lodo, ni por polvo, ni por otra cosa alguna.*

6 Quarum implementum sæpè sæpius D. Carolus V. Imperator, & D. Rex Philippus II. & III. variis in locis, & temporibus exhibuerunt, ut recolit Beyerlinchius (k); & quod magis est, Martiri ostendit Serenissima nostra Regina D. Elisabetha Philippi II. dignissima, & carissima conjux,

(d) Lips. lib. 1. cap. 2. monit. 3.

(c) Miræus in orat. Rodolph. II. novissimè, eruditissimè Jacobo Chiffleus in vindictis Hispan. pag. 319.

(f) Claud. Clem. in Machia jugulat.

(g) Bozius integ. trac. Imp. pend. à virtut. Marq. in Gubern. Chr. lib. 10. Marlian. in Theat. Polit. Saaved.

Emp. 26. ex pag. 175.

(h) Boz. de sign. Eccl. lib. 21. cap. 1. pag. in parvis 126.

(i) L. 62. tit. 4. part. 1. La 3. tit. 1. lib. 1. Ordinan.

L. 2. tit. 1. lib. 1. Recop.

(k) Beyerl. in Theat. noviss. vitæ hum. verb. Eucharistia, pag. 451. & seqq.

jux, cujus pium factum prolixius narrat, & extollit Pater Joannis Bonifacius (l), & ex eo Matthæus Tympius (m). Nosque quotidie parem Pietatem in Rege, ac Domino Nostro Philippo IV. quem Deus sospitet, experimur; sed cum majori omnium admiratione, & devotione, Matrini anno 1635. Nam cum ovantis more, equo insiliens, pretiosisque indutus vestibus, ob felicem cujusdam belli eventum in Sacellum Divæ Virginis de Atocha, gratias aſurus procederet, & fortè, Sacrosactum Christi Corpus, quod ad ægrotum deferebatur, obvium feret, statim se ex equo in lutum magna celeritate demisit, & tunc (ut bene Claudius Clemens (n) ait, hoc factum enarrans) Austriaco Hispanè, & Hispano Austriacè triumphare, sibi, & Hispanis, eadem Religione Inclutis, videbatur.

7 Quæ & ipsum postea permovit, ut in sui Palatii Sacello, eximium hunc thesaurum collocari, & debita veneratione jungiter observari, ac venerari curaverit, sicuti in doctis suis fragmentis Eucharisticis Vincentius Turtureus (o) luculentius enarrat. Referens simul aliam notabilem Historiam Maximiliani Imperatoris Austriaci, hujus nominis I. quem ejusdem Eucharistiæ devotio, & adoratio, ab instanti mortis periculo liberavit, dum aprum insequens, in altam, & præruptam rupem conscendit, & omni humano auxilio destitutus remansit. Quam etiam latius Beyerlinchius (p) commemorat, elegantia simul carmina referens, quibus Georgius Sabinus, & alii Germani Poætæ, eam celebrant.

8 Antiquius etiam, & non minus nobile ejusdem Fidei, & devotionis erga sacram Eucharistiam exemplum, in Erchimbaldo de Borbam adicere possumus, quem Comitem, & ejusdem familiæ Austriacæ, vocat Cantipratanus, & alii (q) à quibus habuit Martinus Delrius. Qua meruit, ut post nepotis parricidium, zelo justitiæ per actum, in ipsius os Sacrata Hostia, quam ei Parochus ob hoc piaculum denegabat, omnibus stupentibus advolaret.

9 Sed de hoc plura dicere supersedeo, cum tot actanta à citatis, & aliis Auctoribus (r) congerantur, & integer extet liber Caroli Philippi Hatronis Belgæ, Regi Nostro Potentissimo consecratus, sub titulo, *Pietas, & Regnum*. Quo hoc Par, antè haud sociabile creditum, dissociari nunquam sine grandi Imperiorum calamitate pluribus exemplis, & argumentis evincit. Quæ vel ab ipsis etiam Ethnicis sumi possunt, quorum veteres, si Athæneo (s) credimus, ita vaticinati leguntur:

*Semper eris felix venerans gens numina Divum,
Donec plus superis fueris venerata virum quem,
Intima seditio tunc, & tibi prælia surgent.*

10 Et Poëta (t) alter dissertissimus, Imperium sine Religionis cura, non magis stare, vel augeri posse, quam hominum genus sine uxoris consortio, atque ob hanc causam Familiam Austriacam (de qua agimus) tot incrementa habuisse, & pro Armorum insignibus, albam fasciam in campo sanguineo gestasse, sic eleganter ostendit:

*Humanum cum Plasta genus sibi conderet, unum
Non vidit satis esse hominem, nisi jungeret illi
Consortem, sine qua nequeat consistere Regnum.
Quod Medus, quod Persa habuit, quod Græcus, & Inda.
Romanus, genuit Mavors sine conjuge prolem.
At Medus, sic Persa ruit, sic Græcus, & ipse
Romanus. Deus imperium sine fine daturus,
Connubio Marti conjunxit Religionem;
Austriacamque habitare domum per secula jussit;
Et spargere cum Sole simul sua Sceptra per Orbem.
Candida Religio est, rubet alter sanguine conjux;
Austriacæ hinc insigne domus cum sanguine candor.*

11 Cujus, (quod magis notandum est) trophæa, eo tempore in Occidente augeri cœperunt, quò in Oriente Turcarum Imperium sub Othomanis radices agebat, ut Genebrardus (u) & Bozius (x) animadvertunt: quasi divina Providentia præveniente, ut detrimentum, quod per hanc Ottomanam familiam Catholica Fides, & sancta Romana Ecclesia passura erat, per illam resciretur, quæ juxta D. Hilarii (y) doctrinam, etiam tunc stat, cum superari videtur. Quod idem, novissimus etiam Gervatius (z), nemine citato, his verbis observat: *Observatione dignissimum est, Augustam Austriacæ domum, à Rodolpho Cæsare, eo ipso tempore communi Orbis Christiani bono,*

G 2 esse

(l) Bonif. in lib. 3. de Christ. puer. int.

(m) Tymp. in Th. hist. 2. part. pag. 62.

(n) Claud. Clem. in Machiauel. jugul. pag. 37.

(o) Turturet. in frag. Eueh. sub hæc occasione scriptis.

(p) Beyerl. ubi sup. pag. 443. & Noster Euseb. Niriemb.

(q) Cantipr. in apob. lib. 2. cap. 36. Cæsarius, & alii apud Mart. Delrium in diq. Magic. lib. 4. cap. 4. quest. 4. pag. 225.

(r) Marlian. in Theat. Polit. cap. 27. Adan Contzen lib.

(s) 1. Polit. cap. 25. §. 13. Carol. Scrib. in Christ. pos. 1. part.

cap. 19. P. And. Canon. in Aph. Pol. ex pag. 799. Bozius

integ. tract. Imp. pend. à virtutis. & alii passim.

(t) Athæn. lib. 12.

(u) German. Poëta cujus etiam memini in Meo 1. tom. de

Ind. jur. lib. 1. cap. 16. num. 92. & 93.

(v) Genebrt. in Chron. lib. 4. ann. 1297.

(x) Boz. de sig. Eccl. lib. 4. cap. 4. & de ruin. Genr. lib. 6.

cap. 9. & alii apud Me 1. tom. de Ind. jur. lib. 1. cap. 16.

ex num. 88.

(y) D. Hilar. apud Me ubi proxime num. 85.

(z) Gervat. in lib. introit. Ferdin. pag. 54.

esse conditam, quo Ottomanica familia, damno publico emerit. Eiusdemque Tyrannidi intra limites coercendæ, velut inconcussam propugnaculum divinitus objectam esse.

12 Undè meritò, tam frequens, quàm rancus, & subdolos Gallorum cantus excluditur, qui in suis semper falsis, & pro libito, ac proprio Marte confictis Mercuriis Gallo Belgicis, & apud Balzacum, Dufurrierum, Gramondum, Anonimam Vindictarum, & alios, clamare ac clarare non desinunt, eandem Augustissimam familiam Austriacam, & Austriaco Hispanam, sub prætextu Pietatis, & Religionis, magis quàm re, & veritate, aliena occupare, & Romanum Imperium sibi hæreditarium reddere velle. Quapropter, Nostros Reges appellare solent, *Catholicos de Estado*, sua conscientia alienas conscientias, & quidem Regum, Casarumque metientes, & sub his clamoribus, seu clangoribus, reliquos alios Europæ Reges, & Dynastas in eorundem Austriacorum odium, & perniciem protervissimè concitantes. Cum tamen certius sit, eis eos invidere dumtaxat posse, & calumniis, ac maledictis lacessere, numquam tamen, quicquid invidia rumpantur, fremant, fredeant, omnemque suam eloquentiam compositis conviciis evomant, consequuturos, quin Austriaci Principes apud Deum, qui peccatorum recessus, latebrasque scrutatur, conscientiam suam probent, & etiam cum suarum opum jactura, & vitæ periculo, Religionem Catholicam, à Majoribus acceptam, intimis præcordiis, & sine fuce sectari, & ubique terrarum propagare desistant; sibi sola Divinæ Majestatis gloria, Populorumque salute proposita.

13 In quo argumento illustrando, & propagando, multus est Nicolaus Vernulejus (a) in elegantia Apologia, quam pro Augustissima, ac Pietissima gente Austriaca typis mandavit anno 1635. ubi manifestia hujus zeli, ac pietatis monumenta ex dictis, & gestis Alberti II. Federici III. Maximiliani II. Caroli V. Philippi II. & III. & aliorum Austriacorum recenset, qui nihil eadem Pietate, & Religione antiquius, tutius, præstantiusque duxerunt, & eam viventes, constantissimè demonstrarunt, & morientes, suis successoribus enixè commendaverunt.

14 Sed quid his testimoniis egemus, quæ etsi à talibus Principibus præstita, forsàn Gallia Syrophantis, veluti in causa propria, minùs stringent. Testetur idem ex eisdem Gilbertus Genebrardus (b), qui non contentus in sua Chronologia dixisse familiam Austriacam à Deo in Ottomanicæ oppositionem prælectam fuisse, ut supra retulimus, iterum alio in loco ejusdem Chronologie sic habet: *Quo anno bellum Hispanum perfectum est contra Mauros, eorum expeditio adversus Indos Occidentales cepit, quasi Hispanorum opus sit, expugnare Infideles, & Paganos.* Erasmus in Panegyrico ad Philippum I. dum asserit: *Hispaniam fatalem Fidei murum, & Christianæ Religionis unicum propugnaculum esse.* Lucius Marinæus (c) Siculus, qui de eadem sic inquit: *Quare quidem meo iudicio in Orbe toto terrorum nulla gens est hodie Hispana (ut ita dicam) Christianior.* Joannes Vasæus (d) Belga, ita idem affirmans, *Fuit profectò Hispania Christianæ Religionis semper observantissima, & Fidem Catholicam, qua semel imbuta, sincerissimè usque coluit, hæreticis infestissima.* Stanislaus Ossius (e) Cardinalis Bermensis, inquit: *Nullum Regnum est hoc nostro infelici seculo magis ab hæresibus intantum, quam sit, vel hoc solo nomine felicissimum Hispaniarum Regnum, cui propter hanc in Fide Catholicam constantiam, & ejus tuendæ diligentiam, alias præterea multas felicitates Deus largitur.* Petrus Odofredus (f), his verbis: *Puniuntur suspecti hæresis in Religiosissimis Hispaniæ Regnis, vel hoc maxime hac tempestate triumphantibus, & singulari laude dignis quod nulla, non solum planè hæreses, verùm ne suspicio quidem, sine digna, vel momento, manet nota.*

15 Quòd valdè consonat cum simili censura, & laude Eminentissimi Cardinalis Baronii (g), ita loquentis: *Hoc planè laudis sibi vindicat semper Ecclesia Catholica in Hispania, ut non ab erroribus tantum, sed & à suspicionibus esse voluerit suos immunes. Quo factum est, ut hoc ipso nostro seculo, cum longè latèque facibus hæreticorum orbis inflamaretur, ipsa illesa persisteret, accurrentibus summa celeritate Dei Ministris, si vel tenuem suspicionis scintillam, vel si non ignem, fumum saltem viderint, latentis ignis indicium. Ipso præcipuè Rege Catholico super omnes in opus naviter incumbente.*

16 Quibus, ultra alia, quæ Ego alibi (h) diligenter congressi, addere licet Thomam Bozium (i), qui zelum propagandæ Fidei in nostris Regibus, & gentibus sic extollit: *Nulla unquam gens, ex quo Adamus habuit liberos, tot nationes moribus, ac ritibus dissimiles, ac utius Religionis cultum, vel earundem legum studium perduxit, ac Hispana. Vix enim quisquam enumerare possit gentium varietatem, moresque illarum, prorsus inter se dissidentes, quas Hispani sub Imperio suo miserunt, Et ad Christi unusque Dei cultum. Sunt in promptu historie, legat qui volent.*

17 Cui assentiens Molanus (k), de D. Rege Nostro Philippo II. verba faciens, ait: *Ita rex verè omnibusque modis Magnus, fortunas omnes, viresque immensas à Deo acceptas, in debellandis Ecclesie hostibus non inutiliter ostendit. Et in universum de tota Hispaniæ gente agens, & quàm sit, ac fuerit Fidei, quam semel ab Apostolis accepit, reinventissima, Petrus Galesinus (l), qui omnino*

(a) Vernul. in Apol. cap. 17.

(b) Geneb. in Chron. lib. 4. pag. 705.

(c) Marinæus de reb. Hisp. lib. 5. cap. de Hisp. rob.

(d) Vasæus lib. 1. Chr. Hisp. cap. 9.

(e) Ossius lib. 3. advers. Brent.

(f) Odofr. in 2. C. de hæret.

(g) Card. Baron. tom. 7. ann. 563. num. 17. col. 713.

(h) Ego 1. tom. de Ind. jur. lib. 2. cap. 25. ex num. 13.

(i) Bozium de sig. Eccl. lib. 8. cap. 1.

(k) Molan. in lib. de Milit. Christi.

(l) Pet. Galesin. in vita S. Did. Compl. part. 1. cap. 2.

apud Surium tom. 6. die 12 Novembris.

legendus erit, & breviori verborum compendio usus Joannes Maginus (m), sic de Hispania hac in parte contestans: *Sacra tamen præ ceteris venerantur, & Pietatem Christianam summo opere colunt.*

18 Quod si quis hos Testes, quamvis adè graves, proletarios dijudicet, audiat precor Pium V. Pontificem Maximum, qui eundem Philippum II. *Publicæ Pacis, & Ecclesie fulcrum*, appellavit. Gregorium XIII. qui ejus incolomitatem Reipublicæ Christianæ, vel idcirco necessariam judicavit, *Quid post hunc, non alius reperiri Philippus posset.* Et Clementem VIII. qui in ea oratione, quàm in Cardinalium Collegio post ejus obitum habuit, magno cum lætu declaravit, quòd *Rex ille plus solus in expellendis ab Ecclesia hæreticis expenderit, quàm omnes simul alii Christiani Reges.* Prout vel in solo Belgio ejusdem Gallis vicino, verificari potest, cujus Dominationem maluit accipit tot bellorum Fortunæ committere, quàm pati, ut in ea, ipso consentiente, unus vel solus ex vassallis à Fidei Catholicæ unitate, & veritate deviare ut in ipsius vita ejusdem Scriptores (n) commemorant.

19 Quinimò & in ipsam Franciam arma intulisse, opesque suas liberaliter exhausisse, ne Catholici illius Regni, ab Hugonotis opprimerentur apertius est quàm ut nostra egeat adprobatione. Atque idcirco, ut Vernulejus addit (o) postea quàm ad Ecclesiam sinum, abjurata hæresi, Henricus IV. rediit, pace Vervini constituta, quas in Francia civitates & arces occuparat, libenter restituit. Et cum postea idem Henricus hujus fœderis immemor, vel spreto, anno M. D. XCV. eidem Philippo bellum indiceret, nullum illi aliud responsum dedit, ut Duploix (p) testatur, quàm *Se, missis in Franciam hæreticis auxiliis, Religionem Catholicam stavitiluisse, hæresimque debilitavisse; in posterum verò non destitutum se quibuscumque viribus, Catholicos in Francia juvare, & hæresim potenter impugnare.*

20 Eandem quoque intentionem, atque attentionem à Piissimo Rege nostro Philippo IV. in vallibus Tellinæ occupatione, & restitutione habitam fuisse, (quicquid Gradmondus contrarium improbe asserat) ipse rei eventus manifestavit, & multis aliis rationibus & argumentis apertissimum reddunt Vernulejus (q), Miræus (r), Julius Bellus (s), Gundisalvus de Cespedes (t) & omnium optimè noster D. Didacus de Saavedra (u) Fajardus in suis Ideis Politicis omni laude dignissimis. Neque expedit, ut in re adè certa longius immoremur, cum vel ipsius Gallia Scriptores, illinc stent, & istinc dicant, & vel inviti agnoscere debeant, quàm impio, promptoque & liberali animo, ac valida classe, idem Rex Noster anno 1625. Franco suppetias tulerit, ut revelles, & hæreticos Rupellanos opprimeret.

21 Cui subventioni illius arduæ expeditionis victoria debetur, & aliarum, quæ ejus causa postea in eodem Regno sunt partæ. Quamvis (quòd certe æque mirandum ac dolendum est) nec Claudius Marisotus (x), Jacobus Gutherus (y), Balthasar de Bias (z), & alii Galli Auctores, qui prosa & vorsa oratione hujus Rupellani triumphii historiam scribunt, & nimis extollunt, nec levem quidem Hispanæ adè opportuna opitulationis mentionem fecerint, sibi solis totam hanc laurum, & Anglicæ clavis fugam adrogantibus, quam certius est, ad nostræ conspectum, Duce eximio Dom. Federico Toletano, ab auxilio, quod Rupellanis præstare parabat, destitisse. Unde tumor, ac fastus Nationis Gallicæ colligi potest, quàm certum sit Adagium, quod ex Plutarcho refert Erasmus (a), *Nemo bene merito bovem immolavit præter Pyrrhiam*, cum in reliquis frequentius Græci illi versiculi celebrari, verificarique soleant:

Simul & miserum est, interitque Gratia

Servatus usque ingratus est, & immemor,

Post munus illud consenscit Gratia.

Sed non idèd pœnitendum est gloriosum gloriosi Nostri Regis auxilium; nam quemadmodum, juxta Cicer. (b) sententiam, *Omnes immemorem beneficii oderunt*, ita secundum aliam Senecæ (c), facientem collaudant, cui salvum ex illo, quod est optimum, manet, nempe fecisse, suoque exemplo docuisse, per se expetendam esse grati animi affectionem, ingrati per se fugiendam: nihilque æque concordiam humani generis dissociare, ac distrahere, quàm hoc virtuti. Cum nullo alio commercio tuti simus, quàm ubi mutuis juvamus officiis, & contra subitas incursiones munitiores efficiamus. *Fac nos (subdit) singulos; quid sumus? præda animalium & victimæ, ac vilissimus, & facillimus sanguis. Quoniam ceteris animalibus in tutelam sui, satis virtutis est. Quæcumque vaga nascuntur, & auctura vitam se gregem, armata sunt: hominem imbecillitas cingit: non unguum vis, non dentium, terribilem ceteris facit, nudum & infirmum, societas munit. Duas res dedit, quæ illum obnoxium ceteris, validissimum facerent, rationem & societatem, &c.* Quod tandem vel ipsos Gallos, Deo annuente, cognituros spero. Cum virtus in omnium animos lumen suum præmittat, & vel ipsis, qui eam non sequuntur, innotescere soleat.

EM-

(m) Mag. in Geog. tab. 3.

(n) Cabrera lib. 8. cap. 20. ex pag. 580. Porrenus de

did. & fact. Philippi II. fol. 44.

(o) Vernul. ubi supra.

(p) Duploix, Auctor Gallus, in vita Henric. IV.

(q) Vernul. supra.

(r) Miræus anno 1623.

(s) Bellus in Laur. Aust. lib. 6. ann. 1622. & lib. 7.

ann. 1623. pag. 658.

(t) Cesp. in Hist. Reg. Philip. IV. lib. 2. cap. 4. & 8.

(u) Saaved. emp. 78. ex pag. 589. & Tapia lib. de

los Grandes, Elog. 1.

(x) Marisot. hist. Maris, pag. 369. & seqq.

(y) Guth. in Carmin. de Rupel. rupta post tractat.

de jur. man.

(z) Bias in Sylvio Regis, Sylva 1.

(a) Erasm. in Adag. pag. 282. & iterum 390. & idem

sup. pag. 361.

(b) Cicero 2. Offic.

(c) Senec. lib. 1. de benef. cap. 10. & lib. 4. cap. 17. & 18.